

bona mobilia, et immobilia, quæ rectè, et iustè habebant, tenebant, et possidebant; nec non eorum bonas consuetudines, quas antiquitus habuerunt, cum omni earum arbitrio, et voluntate, ac si de nouo concederentur eisdem. Ceterum vult ipsa ducalis benignitas ad tollendos libellos, et cauillationes iuridicas, et per consequens causam, et materiam expensarum, quod Rectores tunc præsentes, et qui per tempora erunt, regant Curiam Corphiensem, cuique ministrent iustitiam tam in ciuilibus, quàm in criminalibus, secundum ritum, et consuetudinem Ciuitatis Venetiarum; ita tamen quod Iudices Annales Ciuitatis Corphiensis præsentes, ei qui per tempora fuerint, sint, et esse debeant, apud Rectores suos, et in causis occurrentibus dicant, et consulant prout ipsis iuridicum videbitur, et consonum rationi: deliberatio uerò, et executio causarum tam Ciuilium, quàm Criminalium, postea remant, et sint in arbitrio, et voluntate Rectorum prædictorum: reserbata semper appellatione tam in causis Ciuilibus, quàm in Criminalibus, cuilibet, qui reputaret aliquàlter se grauatum à Rectoribus supradictis, qui teneantur ad requisitionem partis, se appellare intendentis, infra tertiam diem, postquàm fuerint requisiti à parte prædicta, dare sub suo sigillo omnes scripturas, et actus sequutos in causis prædictis, sub pena Perpirorum quingentorum, secundum quod seruatur in omnibus alijs Terris dicti dominij. Et quia ipsi Corphienses in facto dohariorum, et alijs, possent habere suas consuetudines, quæ in aliquo derogarentur per præsens capitulum, reseruatur in libertate dicti dominij potestas addendi, vel minuendi quod expediens videbitur pro bono statu, et conseruatione ciuitatis, et Insule supradictæ.